

APPENDIX.

I.

CRONICA MONASTERIJ DE ALNEWYKE.

*Ex quodam libro Cronicarum in Libraria Collegij Regalis Cantabrigiæ
de dono Regis Henrici VI^{ti} Fundatoris.*

[*Mss. Harl. Mus. Brit. No. 692, Art. 12, fol. 195-203.*]

Incipit Genealogia Fundatorum et Advocatorum Abbatiae de Alnewyke primo scilicet de Rico Tisonne Fundatore Capellæ Sancti Wilfridi Monialium de Gisnis.

Anno Domini 1066. Adventus Normannorum in Angliam. Haraldus Dux Godwini Ducis filius post mortem Edwardi Regis occupavit Regnum Angliæ fracto foedere quod pepigerat cum Willielmo Duce Normannorum quando captus fuerat in Pontinno unde factum est quod Willielmus Dux Normannorum dictus Bastardus associatis sibi Dominis Yvone de Vescy et Eustachio filio Johannis militibus congregatis undique populis Normannorum et aliorum populorum valida manu transfretavit in Angliam et conserto prelio cum Haraldo et exercitu suo eam obtinuit et sic Regni diademate insignitus est. In hoc prelio Willelmus Tisonne corruit cujus frater scilicet Richardus Tisonne fuit fundator Capellæ Monialium de Gysyns circa Annos Domini 1000 quorum pater dicebatur Gisbright Tisonne fundator scilicet Abbatiarum de Malton Walton et Bridlington. Iste Gosbright dedit Richardo filio suo villam de Shilbottell unacum Ecclesia de Gisyng, &c. Iste Richardus genuit Willielmum Tisonne et Willielmus genuit Germanum Tisonne et Germanus genuit Domiaam Bone de Hilton que fuit uxor Willielmi de Hilton hic mutatur cognomine Tisonne in Hilton et Willielmus de Hilton genuit Alexandrum et Alexander genuit Dominum Robertum de Hilton.

Predictus autem Rex dedit Yvoni de Vescy militi suo pro servitio suo filiam Willielmi Tisonne unicam in uxorem in predicto prelio occisi cum Baronijs de Alnewyk et de Malton quæ fuerunt ante illud tempus Gisbright Tisonne patris Willielmi et Richardi Tisonne. Iste Yvo fuit quidam miles de secretarijs predicti regis in quadam villa in transmarinis partibus oriundus quæ dicitur Vescy a qua villa cognomen accepit quem secum duxit prædictus Rex in Angliam. Iste Yvo et uxor ejus habuere unicam filiam nomine Beatricem quam mortuo patre suo Rex dedit Eustachio filio Johannis uxorem militi suo de Normannia adducto viro strenuo ac nobili licet monoculo cum prædictis Baronijs de Alnewyk et de Malton et etiam multa alia bona contulit rex eisdem.

DE EUSTACHIO FILIO JOHANNIS.

Iste Eustachius et uxor fuere primi fundatores Abbatiae de Alnewyk qui dederunt Baldwino clerico suo ad Abbatiam fundandam Ecclesiam de Lestebery cum capellis de Houghton Alnemouth et de Alnewyk cum omnibus appendencijs suis in perpetuos usus Anno Domini 1147 scilicet Regis Stephani 13°.

DE WILLIELMO DE VESCY.

Mortuo Eustachio successit filius suus Willielmus trahens cognomen de matre scilicet de Vescy qui accepit sibi uxorem nomine Burgam sororem Roberti Funtinell Domini de Knaresburgh tunc Justiciarij Angliae. Isti fuere secundi advocati nostri et dederunt nobis tres Ecclesias in perpetuos usus et confirmavit omnia bona patris sui nobis collata. Iste Willielmus requiescit ante ostium Capituli nostri juxta sponsam suam Burgam habitum nostrum circa finem suum sumendo. Iste Willielmus genuit filium de Burga uxore sua nomine Eustachium qui hereditarie successit patri suo.

DE EUSTACHIO DE VESCY.

Willielmo mortuo successit filius Eustachius qui confirmavit omnia bona patris et avi nobis collata et insuper dedit nobis quandam rure partitione quae dicitur Quareflat pro illa terra super quam fundavit capellam sancti Leonardi pro Malcolmi Regis Scotiae anima sponsi scilicet sancta Margaretae Reginae Scotorum qui ibidem occisus est cum filio suo primogenito Edwardo anno Domini 1093 anno scilicet Regis Willielmi Rufi filij Bastardi 7°. Ista Sancta Margareta obiit eodem anno quo et vir suus quae genuerat viro suo sex filios et duas filias quorum tres reges fuerunt Edgardus Alexander et David et tres alios scilicet Edwardus Alredus et Edmundus prima filia fuit postea regina Angliae scilicet Matilda, secunda autem scilicet Maria nupsit Eustachio Comiti Bononiae in partibus transmarinis. Hoc autem anno Ecclesia nova Dunelmensis incepta est Episcopo Willielmo et Malcolmo Rege Scotiae et Turgone Priore ponentibus primos lapides in fundamento. Huic autem Eustachio filio Willielmi de Vescy dedit Willielmus rex Margaretam filiam Willielmi Regis Scotiae filij Malcolmi in uxorem ex illegitimo tamen thoro progenitam cum Baronia de Sprouston pro fundatione capellae Sancti Leonardi quam praedictus Eustachius fundaverat pro anima Malcolmi Regis Scotiae ibidem letaliter vulnerati juxta quandam fontem eidem fonti nomen suum relinquens usque in perpetuum. Unde fons iste vocatur Angliae ydiomale Malcolmswell. Iste Malcolmus Rex fuit vulneratus ab Hamundo tunc Constabulario praedicti Eustachij de Vescy cum quadam lancea eidem lanceae claves Castelli de Alnewyk ad cautelam superimponendo quasi eidem Regi Scotiae Malcolmo Castallum cum omnibus inhabitantis subjiciens. Hoc facto redijt idem Hamundus cocito gressu sanus illesus et incolumis transiens vadum aquae immensabilis et supra modum tunc inundantes voluntate Divina nomen suum eidem vado relinquens unde vadus ille ubi transivit dicitur Anglico ydiomale Hamondes Forde ab illo die et deinceps. Huic Malcolmo mortuo successit Duncanus filius regis in regno Scotorum. Iste Eustachius genuit Willielmum ex Margareta conjuge sua filia Regis Scotorum. Et isti fuerunt tertij advocati nostri.

DE WILLIELMI DE VESCY.

Mortuo prædicto Eustachio successit filius Willielmus qui [confirmavit] omnia dona patris et avi et proavi nobis collata et insuper dedit nobis Boscum de Scrulwood et multa alia nobis bona contulit. Iste Willielmus accepit sibi in uxorem Isabellam filiam Willielmi Longespen quæ nec filium nec filiam habuit hæc requiescit in Ecclesia nostra Conventuali post cujus discessum prædictus Willielmus accepit sibi uxorem aliam nomine Agnetem filiam Willielmi Comitis de Ferers de qua genuit duos filios scilicet Johannem et Willielmum.

DE JOHANNE DE VESCY.

Prædicto Willielmo mortuo successit ei filius suus Johannes qui confirmavit omnia dona collata nobis ab antecessoribus suis et multa majora nobis contulisset ei diutius supervixisset cujus corpus in Ecclesia nostra Conventuali cum magno honore est humatum 4^{to} idus Febuarij Anno Domini 1288. Hujus Johannis ossa Abbas Alanus de Alnewyk fecit secum asportari de Vasconia. Hujus Johannis prima uxor fuit filia Memfredi Saluz Agnes nomine nutrita in camera Reginae Angliæ sponse illustris regis Angliæ Henrici Tertij quæ audita Domini sui incarceratione præ doloris angustiae a seculo migravit inbrevis. Post cujus discessum dictus Johannes aliam accepit uxorem Dominam Isabellam de Beaumont cognatam Reginae Angliæ quæ quidem Isabella post ipsum vixit et multa bona fecit. Ipse autem Johannes proficiens cum Rege Angliæ in Vasconiam ibi apud montem Pestulanum ægrotabat et decebat. Dominus autem Willielmus frater ejus successit ei in hereditate qui feofavit Dominum Antonium Episcopum Dunelmensis in Castro et Baronia de Alnewyk. De isto Antonio Dominus Henricus Percy perquisivit Baroniam de Alnewyk. Hic desunt nomina Vescy.

DE DOMINO HENRICO PERCY, primo perquisitore.

Iste Henricus Dominus de Percy qui perquisivit Baroniam de Alnewyk fuit vir magnanimus quia noluit injuriam pati ab aliquo sine gravi vindicta. Iste Henricus ita strenue gubernabat servos suos quod in toto regno Angliæ timebantur. Iste Henricus habuit uxorem Alianoram filiam Comitis Arundel de qua genuit Henricum secundum de Alnewyk cognomine Percy.

DE HENRICO DE PERCY SECUNDO.

Mortuo isto Henrico successit ei filius suus Henricus Tertius Dominus de Percy sed secundus Dominus de Alnewyk. Iste Henricus præ ceteris antecessoribus suis famosissimus et potentissimus erat. Hic in adolescentia sua in torneamentis et hastiludijs semper exstitit ita potens ut cum summo honore. Inde abiret et recederet tempore quoque adolescentiæ suæ inter Regem et Proceres et Magnates magna dissentio molevit ita ut in diversis partibus Angliæ fere nullus auderet Dominum suum confiteri. Isto autem tempore prænominatus Dominus Henricus licet juvenis ita se habebat fideliter et prudenter in omnibus et ad omnes ut a nullo imponebatur ei reprehensio sive crimen sed ab omnibus amaretur. Iste autem Henricus cum Rex Angliæ castrametabatur circa Villam de Berwik ut eam obtineret per potentiam vi et armis inter ceteros exstitit ita potens et in bello de Hallidonhill ante recessum Regis a dicta castrametatione commisso per Scotos ita viriliter se habebat ut captis villa et castro de Berwyk

Rex dederit ei et hæredibus suis custodiam castri de Berwyk et 500 marcas annuatim de custumis de Berwyk. Iste etiam Henricus perquisivit de dono regis Baroniam de Werkworth pro suo bono et crebro servitio. Iste etiam Henricus excellentissime tempore suo reparavit castellum de Alnewyk, &c. Iste Henricus disposavit idoneam filiam Domini de Clyfford et genuit ex ea Anno Domini 1320 Henricum quartum et tertium Dominum de Alnewyk et alios plures filios et filias inter quos erat unus Thomas qui postea fuit Episcopus Norwicens prædictus præterea secundus Henricus multum laboravit per multos tractatus et trengas patriam et marchiam servare integram et illesam tandem Scotis nolentibus formam pacis sed Angliam destruentibus et depredantibus Rege Angliæ cum suo exercitu existente in partibus transmarinis Dominus Henricus excitavit Archiepiscopum Eborum et cæteros Dominos Boreales et omnes cum suo exercitu convenerunt in Perco de Aukeland et omnes per prædictum Henricum et suum exercitum tam robustum tam confortati quam primitus excitati in Scotos apud Nevil Cros impetum fecerunt et eos devicerunt Scotorum rege capto in dicto prælio et abducto. Hic Henricus circa finem suum magnum affectum habuit dictæ Abbatiae sed heu quasi modica infirmitate detentus in castro de Werkworth obiit insperate et in dicta Abbatia honorifice est sepultus. Obijt autem Anno Domini 1351 tertio kalend. Marcij. Hujus Henrici tempore scilicet Anno Domini 1350 Johannes Abbas de Alnewyk decessit in communi mortalitate.

DE HENRICO DE PERCY QUARTO.

Anno Domini 1351 mortuo Henrico de Percy tertio successit ei filius suus Henricus de Percy quartus sed tertius Dominus de Alnewyk vir parvæ staturæ sed fortis fidelis et gratus et dominio sibi a patre suo relicto contentus nullius terras seu possessiones voluit obtinere. Hic habuit uxorem Dominam Mariam filiam Comitis Lancastriæ sororem illustris Henrici primi Ducis Lancastriæ anno gratiæ 1341 Henricus quartus genuit de Domina Maria uxore sua Henricum quintum sed Dominum quartum de Alnewyk et natus est die Sancti Martini anno prædicto et post alium genuit filium de prædicta Domina nomine Thomam postmodum militem strenuum et famosum. Defuncta est autem illa generosa Domina primo die Septembris Anno Domini 1362 et sepulta est in Abbatia de Alnewyk. Mortua ista Maria Dominus suus accepit sibi uxorem aliam Johannam scilicet filiam Domini de Orby de Comitatu Lincoln de qua genuit filium et filiam, sed filius vivente patre obiit filia autem mortuo patre supervixit. Iste Henricus dedit nobis in obitu suo 100 libras et multa alia beneficia nobis crebro contulit. Obijt autem iste Henricus 15 kalend. Junij Anno Domini 1368 et sepultus est Abbatia de Alnewyk juxta uxorem suam primam.

Completo tempore quo Walterus Abbas Alnewyk amplius noluerit villicare successit ei Robertus Anno Domini 1362 sed varijs et anxijis hujus mundi replicationibus conturbatus supplicantibus fratribus et hortante patrono gratis cessit et ex licentia superioris sui sibi succedentis in officium ad studium Oxonias adiit ibique per quatuor annos laudabile trahens moram urgente tandem pestilentia ingressus est viam universe carnis.

DE DOMINO HENRY PERCY QUINTO.

Huic Henrico successit filius suus Henricus quintus dictus quartus de Alnewyk. Hic in adolescentia sua nutritus aliquando in Curia

quando cum avunculo suo illustri et primo Duce Lancastriæ et ei dilectus et familiaris extitit valde. Hic vivente patre suo in partibus extraneis multum laboravit. Hic etiam a Scotis vivente patre suo timebatur et propter suam facundiam intraetalibus aliquantulum amabatur erat enim bene literatus et bene expectabat et sapienter mature et facunde ad proposita respondebat. Hic duxit uxorem Dominam Margaretam filiam Domini Radulphi de Nevil de qua genuit tres filios scilicet primogenitum Henricum de Percy sextum Thomam et Radulfum natus fuit Henricus sextus de prædicta Domina Margareta 13^a kalendarum Junij Anno Domini 1364. Prædictus Henricus quintus post obitum patris sui in honoribus fama et Dominijs crescebat valde. Iste etiam Henricus Abbatiam de Alnewyk supra omnes antecessores suos tenerius diligebat, et confirmavit omnes donationes antecessorum suorum et super hoc fecit chartam et sigillo suo signavit. Iste etiam Henricus Anno Domini 1369 mare pertransijt in Franciam cum Duce Lancastriæ et alijs magnatibus Angliæ patriam vastando villas comburendo homines resistentes occidendo, sed in hoc itinere dictus Dominus tactus infirmitate coactus est repatriare citius quam vellet. Iste etiam Henricus Anno Domini 1372 secundo kalendarum Februarij accepit fraternitatem capituli nostri cum magna devotione et cum alijs militibus et armigeris. Iste etiam Henricus Anno Domini 1373 mare pertransijt cum exercitu magno cum Ducibus Lancastriæ et Britanniae et alijs magnatibus Angliæ et regnum Francie pertransiens strenue se habebat patriam destruendo, resistentes occidendo villas et civitates comburendo et supra ceteros omnes suum exercitum optime gubernando cum honore et fama nobili repatriando. Eodem anno Henricus sextus primogenitus Henrici quinti accepit fraternitatem capituli nostri unacum duobus fratribus suis Thoma et Radulfo. Iste siquidem Henricus quintus Anno Domini 1377 factus fuit Mariscallus totius Angliæ per Dominum Regem ante Natale Domini.

Ad instantiam Walteri de Hepescotes Abbatis de Alnewyk peritissimi patris ac famæ vernantis religionis nobilis advocatus noster Henricus quintus Dominus de Percy Anno Domini 1376 in die Assumptionis Beatæ Mariæ in refectorio nostro convivavit cum 13 militibus quorum hæc sunt nomina Dominus Willimus de Acon, Dominus Richardus Tempest, Dominus Walterus Blount, Dominus Alunus de Heton, Dominus Johannes Coniers, Dominus Johannes Heron, Dominus Johannes de Lilleburum, Dominus Thoma de Ilderton, Dominus Thomas de Boynton, Dominus Ingramus de Umfravill, Dominus Johannes de Dichaunt, Dominus Johannes de Swynton, Dominus Radulphus de Viners et multi alij nobiles patriæ. Impleto claustro parochianis nostris et communibus patriæ computati fuerunt in claustro commedentes utriusque ætatis ad illam refectionem 1020. Viri in refectorio vero 120, ad secundam refectionem in refectorio 86.

Iste Abbas Walterus Hepescotes multis et varijs mundi anxietatibus irretitus et maxime ex caristiâ frugum insuper et pestilentia animalium quæ ultra modum suo tempore invaluit quia fere omnes boves et oves ad Ecclesiam suam pertinentes in illa pestilentia perierunt.

Hac omnia ex prefatis Chronicis de Fundatoribus Advocatis et Abbatibus Monasterij de Alnewyk, quæ extant in Bibliotheca Collegij Regalis Cantabrigiæ.